ABSALON
ET
ACHITOPHEL.

CARMINE
LATINO HEROICO.



OXON,

Typis *Lichfieldianis* Prostant apud *Ricardum Davis*,

Anno Domini 1682.

Amico meo Chariſſimo G. C. A. M. e Coll. M. Salutem.

CUM mihi jam plurimis (quibus anteà diſtractus eram) negotiis liberato, horæ non paucæ ſubceſivæ ſupereſſent, operæ pretium (Chariſſime mi Amice) fore duxi carminibus componendis eas impendere, & Poeſi litare; utpote quæ non tantùm ingenium acuit, ſed & animum ſæpè cogitabundum magis recreat, & demulcet. Sed crimineris me fortaſſe; neq; immeritò quod Poema tantâ ingenij ſubtilitate compoſitum, tam limato judicio elaboratum transferre ſuſciperem; quaſi furtivis meis pennis decoratum eniteſceret magis, & ſplenderet. Non poſſum profectò diffiteri quin eâdem etiam de cauſa mihi culpa non levis imputetur; ſed in votis hoc tantùm meis erat, ut ſi quod elucubraſſem præſenti temporum inſerviret ſcenæ, & ſeculi genio quadraret. Et hoc inſuper mihi non minimo ſolamini fuit, ſi tam divini poematis perfectionem neutiquam attigiſſem, magnis tamen auſis excidiſſe. Fruere itaq;, Amice, his nugis meis, & cum ſeriis rebus vacare non juvet, hæc Tibi (ſicut mihi fuerunt) in crepundia cedant, quibus laſſatum ſtudiis animum aliquatenùs delinire poteris. In perlegendo hoc poemate paucis Te monitum volo, ut ubicunq; Fœdus *majori charactere ſignatum, aut cum Epitheto expreſſiori (*viz. *malum, maleſidum, conjuratum &c.) conjunctum occurrat, Sermone Anglicano ſignificari* The Plot. *Et hoc eò magis cautum*

 volui

volui, quia nullo unico Latino verbo, quantum ſcio, exprimi potuerit, niſi quod forſan Conjuratione *ſignificetur, quod verbum carminibus Heroicis non facile inſerendum. Quod ad nomina Hebræa attinet, ea inter Aptota numeravi, quæ in omni caſu, numeroq; terminationem non mutant: nec de eorum quantitate tam ſolicitus fui, quin ſi aliquando deliquiſſe videar, tritus ille & vulgaris prætextus, Poetica nimirum licentia me excuſet. Si quod deniq; erratum ſit (& profecto in quo carmine non eſt?) Amicâ Tuâ, uti ſoles, ſeveritate corrige, & limâ erade, & ſic gratiſſimum facies*

Dat. Hartford
Idib. Aprilis
1682.

Amico Tuo

G. C.

ABSALON

Abſalon

ET

Achitophel.

CARMINE LATINO HEROICO.

COgnovêre *pias* nondum pia ſecula *fraudes*
Arte Sacerdotum, nondum vetuere maritos
Multiplici celebrare *jugo* connubia leges;
Cum Vir *ſponſarum* numeraverat *agmen*, & uni
Non ſervire toro, fato adverſante, coactus
Plurima fertilibus produxit ſtemmata lumbis;
Cum ſtimulos Natura daret, nec legibus ullis
Et ſponſæ & lenæ vetitum eſt *commune* cubile;
Tunc *Iſraelis*, cœlo cedente, Monarcha
Concubitu vario vernas, nuptaſque fovebat:
Quáque erat Imperii limes, ibi meſſe feraci
Tranſcripta Archetypi *ſparſim generatur imago.*
Ornavit Regale caput Diadema *Michalis*;
Cultori ingratum, vel quod ſterileſceret, arvum:
Non aliud par hujus erat; nam plurima mater
Jam pridem multos utero ſatis ubere natos
Jeſſidi peperit. Sed ſacra cubilia vernæ
Cum premerent, ſoboles *obliquo tramite* Sceptrum

Artipuit, ſpurioque fuit de ſanguine Princeps.
Has inter ſtirpes eluxerat *Abſalon*, ipſâ
nec formâ inferior, ceſſit virtute nec ulli.
An magè divino Pater inſpiratus amore
Ipſum progenuit *majore libidinis æſtro*
Præcocis ingenii, vel quòd bene *conſcia* fata
Felicem dederint ad Sceptra *virilibus* anſam
Formæ *ornamentis*, & iter proclive parâſſent.
Huic *Fama* in campis ſonuit *matura* remotis
Invictumque Ducem agnôrant ſocialia Regna:
Pace minas oculis, animoque excuſſerat arma
Quælibet, ut natus tantum *videatur amori*.
Siquod agat, mentes adeò mulcebat, ut ipſum
Juſſerit, *aut ſaltem docuit* Natura *placere*:
Quicquid agit, *genio* peragi *ridente* videtur,
Et vultu amotis rugis *afflabat amores*.
Lætitiâ hunc tacitâ fovet indulgentia Patris,
Qui quaſi bis natum ſe viva in imagine vidit:
Nil inconceſſum voto ſitiente rogavit,
Annabal at thalamo ceſſit ſocianda jugali.
Crimina ſiqua, Pater (quis enim ſine crimine vivit?)
Non potuit, *lippis vel ſaltem aſpexit ocellis*.
Quoſdam, quêis mirè lex blanda pepercerat, æſtus
Impete commotos nimio dixere Juventam,
Fermento tantum quæ *defæcanda* calenti.
Impia & *Amnonis* ſpecioſo nomine cædes
Juſta obtrectatæ famæ vindicta vocatur.
Sic *inconcuſſâ* regeret dum *pace Sionem*
Rex *David*, juvenis laudatur, & unus amatur.
At rarò fauſtæ ſeries manet integra vitæ,
Dii pœnâ pravos urgent, tentamine juſtos.
Judæi, populus rigidæ cervicis, & aſper
Moribus, & querulus; Gens nulla *procacius illâ*
Vim velut extremam eſt Divini experta favoris;

Gens

Gens adamata Deo, *nimiâ lasciva quiete,*
Impatiens Regis, placandaque Numine nullo:
(Numina nam variæ molis, variæque figuræ
Quæ faber ex sacro potuit procudere ferro,
Aut pius Antistes effingere mente, probâsset)
Egregiè sapiens populus, nimiumque beatus
Somniat heu! justæ se libertatis egenum.
Et cum per terras usquam Gens nulla reperta est,
Quæ magis arbitrio vixit, vel lege soluta,
Mox animum ad sylvas flectit, nemorumque recessus,
Et *præter Satyros* omnes servire putabat.
Qui post funebrem *Sauli* sine vulnere pompam
Isboset insulsum *Diadema odisse* coegit;
Cujus ope ad solium *David* redit exul ab *Hebron*,
Rexque inter medios uno velut ore triumphos
Sæpe salutatur plausu resonante catervæ.
Ipsi hi *Judæi*, vel tum cùm summa professi,
Non Regi obsequium, ast *animi* sua vana *sequacis*
Arbitria ostentant, & jam mirantur ad annos
Factitium tanto colerent quid honore Monarcham:
Quem manibus fecêre suis, fas tollere credunt,
Aut *titulo* donare *mero*, quo *Regia* tantum,
Aureus ut quondam vitulus, *coleretur imago*.
Ventilat hæc *obiter* tumidâ plebecula bile,
In scelus, aut quæstum nondum coalescere cœpit.
Optima pars populi *Judæi*, & criminis expers
Dulcia tranquilli bene noverat otia Regni;
Seclaque respiciens *cauto terrore* relapsa,
Vulnera conspexit *malè sarta*, & turpia visu.
Cumque cicatrices *grumoso sanguine* plenas
Viderit, execrata memor civilia bella est.
Quorum animus nimiâ tunc non excanduit irâ
His moti, positâ dubiæ libramina lancis
Mole premunt, vigilisque *sagax clementia* Regis

Sustulit

Sustulit optatam populis discordibus ansam.
Cùm tamen in vetitum *genio labente* feramur,
Providus *hamatam* Satanas mox projicit *offam*,
Et quasi *nequitiæ leno* mala præbet amata.
Jam conjurati malefidæ *Fœderis* artes
Erupere, *Bonâ Causâ veteriq;* jubente.
Vera, an falsa licèt, nam Conjuratio Regum
Excidium est, ipsâque trahit Respublica vitam.

Antiquam *Solymam Jebusito* semine nati
Incoluere viri, traxit urbs nomen ab illis;
Jus His nativum fuerat——
Cùm tamen Electus geminatis viribus arma
Movisset populus, *Jus ipsum evasit iniquum*:
Et quo plura mali tulerat dispendia fati
Incola, censetur magè displicuisse Tonanti.
Viribus effœtis, aut fractis hinc *Jebusitæ*
Vellent, an nollent, *Jessidem* agnoscere Regem
Coguntur, facti *extorto moderamine servi*,
Auctaque cùm victâ solvunt tellure tributa.
Et quod vix animo humano tolerabile, salsis
Luduntur probris, *vilique æqualia ligno*
Numina *vulgari crepitant* combusta *favillâ*.
Moverat hoc rapidam Pagani Antistitis iram:
Ambit idem in varia nam Relligione Sacerdos.
Qualiscunque sui fuerit prosapia Divi,
Seu lapide, aut trunco, tenui vel origine nati,
Ipsum defendunt parili virtute ministri,
Tanquam *explorato* genus enumerasset ab *auro*.
Atque hæc Rabbinis, quamvis hostilibus ipsos
incessant odiis, solers prudentia visa est.
Nam *Gens* obstrictos credit pietate *togata*
Det vitæ quicunque penu commune tueri.
Hinc ortum duxit *Patriæ communis* * *Erinnis*.

* *Virgil.*

Re mala, sed specie nova Conjuratio pejor.
Excessu laudata pari, & traducta, probata
Jurantûm verbis, morientûm voce negata.
Non *excussa* vagæ *penso libramine* plebis,
Indigesta tamen, massâque absorpta recenti.
Quædam vera tulit, sed cum *farragine mirâ*
Falsorum mixta, & mendacibus abdita larvis,
Subtili ingenio parodoxa, crepundia crasso.
Qui nullis, facilemve dedit omnibus olim *aurem*
Traditur æquali sibi delirâsse furore.
Ritibus *Ægyptis* fatuus *Jebusita* colendis
Se devovit, ubi commendat Numina Gustus.
Numina nec dubium est, cùm non insulsa, placere;
Quæ simul *in Divos cultori & pabula* cedent.
Vi potuit nullâ spretos obtrudere Divos
(Nam binis impar fuit & *Tyrinthius* Heros).
Hinc placuit tentare dolos (Antistitis artes)
Nam stolidos suasu citiùs quàm robore vinces.
Judæos tandem facto velut agmine cœtus
Clamosi invadunt præfrictâ fronte magistri,
Fautoresque sui cultûs scrutantur in Aula,
Atque *ipsum* alliciunt ad pulpita sacra *lupanar*.
Quod tulit *Hebræus* non æquâ mente Sacerdos,
Balantem quòd lana gregem sua jure sequatur.
Persuasum est aliis intenta pericula Regi
Bombardis, olim per secula longa repertis.
Non hoc jurabit vates, sed Dæmone junctus
Quis novit quantum poterit *Jebusita* cruentus?
Hoc, quod vulgari tantùm strategemate fultum
Sperato nunquam successu *Fœdus* egeret,
Omen, & occulti dederat præsagia damni.
Nam velut accensus cùm corda per intima flagrat
Febre cruor, celeri *stagnum* delabitur undâ
Protinus, & peccans citò quilibet æstuat humor,

Qui prius innocuas *lambit sine murmure ripas*:
Sic cùm *divisum est studia in contraria vulgus*,
In spumam fervet parilem, Regnoque minatur.
Quidam *judicio* facilis censentur amici,
Sed *plures sapuisse suo*, & velut obice jacto
Imperio, frustrà quod captavêre, resistunt.
Quosdam Aulæ immeritus favor insignivit, at illinc
Ejecti, Lemurum ritu, *obdurantur* in ipsis
Flagitiis. Alios ad munera publica Regni
Affines solio, condonatosque rebelles
Fatali extulerat Rex *mansuetudine David*.
(*Arcta* quidem *vincla*, ingratos si vincla ligârint.)
Achitophel fallax horum vetus agmina duxit
Signifer, exosum ventura in secula nomen.
Consiliis promptus *vafris*, versutiùs illo
Occultos ageret nemo cum fraude cuniclos.
Turbidus ingenii, capitis subtilis, & audax,
Judicii nullo constans dictamine, nullâ
Sede, sed imperio *fremit* indignatus in omni,
Dedecus incensum, velut unguis in ulcere, torquet,
Ignea mens latè dum sese *expandere* nisa est,
Pygmæam senio quasi *molem attrivit* edaci
Corporis, obducens *limosa habitacula formâ*.
Rebus in angustis audax Naucle1us & idem
Exultans ipsis, dum sæviat unda, *perîclis*.
Tempestate frui gaudet, pelagoque sereno
Iratus brevia, & scopulos accedere gestit,
Ut tantùm ostentet, quantum scitâ arte valeret.
Ingeniis certè comes est dementia summis,
Atque horum tenui distat discrimine limes.
Aut hic divitiis, titulisque onoratus honoris,
Sedata *effœtæ* cur deneget otia *vitæ* ?
Torqueat & *carnis* siccam *insatiabilis* offam?
Quæ quamvis *fundo quasi suspirârit in imo*

Ex-

Exhaurique timet, tranquillæ est prodiga vitæ.
Totus & hic sudor tanto ut conamine partis
Filius iste, *bipes, animalque implume,* fruatur.
Qui confusa vagæ est inter phantasmata mentis
Editus, informis moles, rudis instar Anarchæ.
Infidus fidis, & inexorabilis irâ,
Aut geret Imperii, penitúsve excindet habenas.
Hic *triplici* rupit socialia *fœdera nodo*,
Ut prope divulsis tremeret quassata columnis
Ipsa Salus Populi; sub quo *cervice paratâ*
Longinquo *servire* jugo steterit Incola *Judæ.*
Hunc famæ ambitio cepit terroribus actum
Grata, *nec erubuit patriæ pater ipse vocari.*
Tam facile est *animis sævit cùm mobile vulgus,*
Si *Commune Bonum* specie simuletur inani,
Crimina *fucatâ* privata recondere *larvâ.*
Quàm sacra nequitia, & tutò *Catilina* rebellat!
Quà nemo in blandam poterit delinquere plebem:
Crimina quà spectat *nictanti* vulgus *ocello,*
Culpa nec ulla patet, quia quo delicta videntur
Alterius, *speculo* sua contemplatur *eodem.*
At *meritæ famæ* nec perfidus invidet hostis,
Quòd *fora* clamosis moderator *litibus orba*
Fecerit, & trutinâ justum deciderit æquâ;
Sed vix Patricium merito dignamur honore.
Justior *Abbethdin Israëlitica* nunquam
In fora descendit, neque jura latentia lotis
Purior explicuit, manibúsve *intactior auro.*
Sponte, & *judiciis* miseros protexit *inemptis,*
Accessu facilis *succinctæ ad munera curæ.*
O! Sibi si Regem meritis obstringere tantùm
Æmulus ambiret sola exercendo Togatæ
Munera militiæ, vel *si non nobile semen*
Ingrato lolio, & sterili premeretur avenâ:

 Huic

Huic *David* Lyricas pulsaret pollice chordas,
Æternoque uno caruisset carmine cœlum.
Ambitio at properat præceps ad lubrica, in uno
Nescia stare loco, solidâ tellure gravatur
Compingi; at gaudet glaciali tramite duci
Achitophel, justæ famæ *pigréque beatæ*
Pertæsus *vitæ* jam *fastidivit* onustos
Fructibus auratis *impunè* excerpere ramos,
Brachia sed cupido dedit auxiliaria vulgo,
Regia quêis fructus *concussa remitteret* arbor.
Jam detecta suum *vulpecula vafra* reatum,
Qui quondam latuit fœtante reconditus ovo,
Prædicat, in stratam Regémque lacessit arenam.
Jus contra Regem Causæ popularis *aperto*
Defendit *clypeo* & *postico crimine leges*
Persequitur. Posthac speratam *Fœderis* ansam
Arripit horrendi, quod tam *prægnante* receptum
Ingenio plura eduxit, majoraque factis.
Hinc *mala* secretis refert *inventa* susurris
Nescio quæ, capiti timidæ impendentia plebis.
Mox tamen arbitrio *sobolet* tractanda meraco
Imperia, & Regem *Jebusitam* detegit ipsum.
Argumenta quidem *delumbia*, sed bene novit
Quàm facilè his capitur populus proclivis ad arma
Sponte suâ, *Dominæ* namque ad *ludibria Lunæ*
Judæi rapti motus imitantur eosdem:
Et post lustra (ferunt ut Scribæ) quatuor *ipso*
Naturæ instinctu Dominum mutare docentur.
Achitophel frendebat adhuc Ducis indigus apti;
Absalon hinc placuit, caput insuperabile bello:
Non quòd *tergeminis* optaret *honoribus* ipsum
Tollere (Patricius nam raro flagrat *amore*
Aut odio) *titulo*, sed quòd cognoverit *orbum*
Et justo *mancum*, cogi *dare vela favori*

Plebejo,

Plebeio, ut regum *velut expirante supremam*
Majestate Animam tandem delata Potestas
Ad plebem, & *populi fæces*, Regalia ferret.
Compositis mulcere *dolis* Hunc tentat, & acre
Effundens *virus verborum*, talia fatur.

Augustissime Princeps!
In natalia cujus
Regale Australi pollebat in æthere sydus;
Deliciæ, patriæque idem redamantis *Adonis* :
Et *Tutelari* trepidam qui protegis *igne*,
Obscuræq; die defendis tegmine nubis.
Tu *Moses* alter cujus vibrata marinos
Virga secat fluctus, sanctæ confinia terræ
Ostendens, cujus surgentem in quolibet ævo,
Lucem *inspirato* cecinit sacro *ore* propheta.
Optantis populi votum, lætabile vatum
Augurium, juvenum demissum cœlitus æstrum;
Religiosa senes de Te sua somnia fingunt.
Conscia Gens omnis Te, Te Σωτῆρα fatetur,
Omen & *aspectu nunquàm satiata* precatur.
Sic *non quæsitis* celebrat vestigia *pompis*;
Nomen & Infantes *linguâ titubante* docentur
Balbutire Tuum, *blæsâque extollere Voce*.
Quid tantâ suspensa morâ communia differs
Gaudia? *jejunæ* tanquàm moderamine *gentis*
Defraudes genium, peragisque inglorius annos.
Ecce! *pie stupidus* vento pascêris inani
Virtutis, donec quæ jam Tua gloria fulget,
Palleat, & fiat repetito evanida visu.
Crede mihi, extensâ subitò, stirps Regia, dex
Collige maturum, aut putrescet in arbore fructus.
Aut serò aut citiùs cœlesti lege jubentur
Fausta repentinæ fortunæ emergere fata;

 Quis

Quêis benè si vigili velut *insidiamur* ocello,
Artis ope (Humano nam res humana regenda est
Arbitrio) tanquàm clivo delabitur æquo
Fortuna, & *primo* resumit ab *impete* vires.
Indeprensa tamen celeri velocior aurâ
Evolat, & *rictu* stupidos *inhiante* relinquit
Mirantes *ad terga* fugax, jam jam Tibi palmâ
Insigni occurrit, dumque exagitata volatu
Festinat, pandit laxos in fronte capillos.
Si *David*, cujus genitali enascere lumbo,
Sceptra recusâsset fortunâ oblata secundâ,
Exul perpetuus *Gathi* mansisset, & *unctus*
Incassum cœlesti oleo diadema petisset.
Eum. Erigat abjectam spem fortunata juventus,*
Sed defecturæ vires exempla Senectæ.
Aspicis occiduo dùm mergitur æquore Phæbus
Crescit ut elatis *extensa* vaporibus *umbra*.
Non jam qualis erat Jordani in littore quondam
Ad vada cum populus grege confertissimus uno
Applausu reboans stetit, & lætante propinquum
Præ turba *obductum latuit caligine* littus:
Sed velut Angelicus Princeps è culmine lapsus,
Contractâ præceps descendit ad Infimā *luce*,
Quem *fatuum Fœdus* populari prodidit iræ
(Solus ab exoso reditu successus) adunco
Undiq; Plebs naso, salibusque illudet amaris.
Grex hominum, qui quondam uno quasi fasce ligatus,
Difflatus tenui sparsim *raresset* ab aurâ.
Viribus Ille Tuis quibus obluctabitur armis,
Hostibus assiduis septus, nudatus amicis?
Ancipitem Pharaonis opem si posceret, illo
Judæam auxilio magis irritaverit iram.
Auxiliatricem Ægyptus *simularet amicam*,
Et non suppetiis Regem, sed fomite bellum

Promo-

Promotura novo; nec Regi astricta fidelis
Pars populi Ogygiis Jebusitæ assisteret armis.
Si tamen assistat, Jessidem invisa Potestas
Franget, & *auxilijs magis enervabitur auctis:*
Dum Gens tota *meâ* Reges feliciter *arte*
Detestata suos miseri Jessidis iniquum
Imperium *excutiat.* Nam jam clamantur ad omnes
Relligio, Libertas, & *Respublica* vicos.
Publicus ipse pugil *dignum Te vindice nodum*
Si solvas, titulum & regalem insignibus addas,
Quid non Israel speret? Præconia quanta
Talis, & *ob talem* dux Ipse merebere *Causam*?
Non laudis sonitu, aut vacuâ celebrabere famâ,
Quæ fatuis solâ est blandita, ut Tulipa, formâ,
Ast erit imperium *solido tibicine fultum*;
Limite nobilior justoque inclusa Potestas,
Dilectæ unanimi Patriæ Tibi tradita voto est,
Quàm longâ titulus serie, & *caligine multâ,*
Semesusq; situ Sacrâ direptus ab Arca.
Quid non Laus animis generosis imprimet?
Ambitio quos cæca rapit, *palpantq; salaces*
Blanditiæ. Sitis Imperii vapidissima terræ,
Noxiaque herba soli cœlesti semine nata est;
Gloria dicta *Dei:* sed cùm Natura laborat
Hâc humana siti, præcordia mollia tantùm,
Cœligenæ nimiùm torret scintillula flammæ
Pruritu imperii, famæque libidine vanæ.
Turgidus Angelicâ Juvenis nimis indole, captus
Illecebris Virtutis iter malè sedulus erro
Deseruit. *Bibulas* sic blandus *inebriat aures* * Vid *Juv.* Satyr. 11. v. 114.
Applausus, sic *laude satur* vitiatur adeptâ.
Dissentire malo, nec consentire gravatus
(Nam *vel adhuc* tumidæ Regali sanguine venæ
Fervebant) sic effatur———
———Quo publica Gentis,

Jam

Jam mihi prætextu libertas ſuggerit arma?
Indubiâ Genitor populum ditione coercet,
Deliciæ humani Generis, fideique columna
Antiquæ, comis, *legum obſervantior ipſâ*
Plebe ſuâ, & multis cœleſtia numina miris
Suſceptæ partes egêre faventia Cauſæ.
Cui mala *curriculo* regni diſpendia *toto*
Intulit? *incaſſum* vel quis Regale tribunal
Adfugit? venia quot mille beaverat hoſtes,
Juſta implicatæ quos ultio tradidit iræ?
Humanus, facilis, noſtræ utilitatis avarè
Æmulus, & clemens, fundendo in ſanguine parcus.
Candida Judæa malè ſi cervice feratur
Manſuetudo, *Dei eſt ipſius amabile crimen*.
Proderit infido populum quid fallere fuco,
Arbitrióve mero jus inviolabile regni
Commutare ſui; *Pharaoh* moderamine tali
Dicat frugifero verba execrantia Nilo,
Servilique jugo paret: at Jeſſidis amæna
Si nimis *ingratam* moveant moderamina *bilem*
Judæis, illo premit ægra Canicula morbo.
Cur igitur pravos *preſſis calcaribus* urgens
Inſanire juvet motis *popularitèr* armis?
Si ſua crudeli vexâſſe tyrannide regna,
Aut Jebuſitæis cuperet ſuccurrere turmis,
Non indigna querar; ſednexa ligamine ſacro
Compeſcat motus Natura, manúſque retardet.
Arma quidem populus pro libertate moveret;
Sed quod *jus illi* tribuit, *mihi crimen* habetur.
Feſtinus mihi nulla *favos* optanda relinquit,
Anxius at *tardis properat* præcurrere *votis*.
Dum ſpirat *David* quid plura rapaciùs optem?
Omnia, regali excepto diademate, cedit.
Atque hoc — Tunc ægro ducens ſuſpiria corde,

Devo-

Devotum est *meliùs* caput insignire *merentis*.
Nam cùm transactæ Genitor post tædia vitæ
Serus ad æthereas *fato* properaverit auras,
In solio stirps *vera suo* dominabitur: expers
Hujus, in * agnato descendet tramite, sceptrum. *Collaterali.*
Invidiâ quamvis populari oppressus, at audax
Frater, jura tenens *certo pendentia fato*,
Omne quod *incoctum est generoso pectus honesto*
Subjecit, vel charus adhuc, queis vita fidesq;
Inculpata manet. Stabili pronuntiat hostis
Virtute infractum, fidum profitentur amici,
* Obsequium Princeps, famam testabitur orbis. *Ejus.*
Hujus & *indigno* parcet clementia *vulgo*,
Namq; indulgenti certè est à stemmate natus.
Cur adeò decreta querar nimis improba cœli
Quòd gestanda mea non det regalia dextra?
O! mihi si flatu spirantia fata secundo
Nobiliúsve Genus, mentémve ad sordida pronam
Contulerint, animam mihi tantorumq; capacem
Non tam *plebeiâ* misceri *sorde* dedissent.
Sentio, jam *spirant altos præcordia motus*
Maternúsque movet Patri fastidia venter.
Natali *arctatus* tenui quid origine claudor?
En! Anima irridet mea tali affinia nexu,
Et dictat tacitis *sceptro prognata* susurris,
Magnorum cœleste famem fore nobile crimen.
Sic dum *Tartareo* Juvenis *mangone* vacillans,
Et nisa imbelli Virtus munimine pressa est,
Hic nova semicremis *fomes* incendia lignis
Subjicit, & tales emisit pectore voces.
En! Deus æternus, qui prudentissimus idem,
Optimus hæc Genio non est largitus *inani*
Eventu miranda Tuo tot dona: beatum
Quot reddent Vestrum miràcla *recondita* regnum?

Ipsa Tua, *inviti licèt*, argumenta probârunt,
Te tantum solio dignum, sceptrumq; mereri.
Non mihi quod sannas moveat Clementia Patris,
Sed magis exornat *virtus* diadema *virilis*.
Vera loquor, lenis *populo* concedit *hianti*
Quicquid avet, fortè & *votis non debita justis*.
Sed *favor imbellem* testatur *prodigus*, & non
Ingenii, blandæ sed verior indolis index.
Quò populus vinclis spatiari in compita ruptis
Certaret, nisi sub distracto, & defide Rege?
Concedat, *donec* sua concedendo *fatiscat*;
Pauperiem *frugi Sanhedrim* sufferre docebit:
Quilibet & siclus, fixa quem clauserit arca,
Abrasæ pretio *quasi majestatis* emetur.
Insidiis vexare novis mihi provida cura
Incumbit, rigidíve malis immergere belli,
Quod multis opibus constabit, sanguine multo.
Dum velut *exhaustis* infirma *araria venis*
Deficiant, *jurisque* inopes *regalis* eodem
Relliquiæ pretio *curti centussis* emantur.
Omnibus imponam Jebusitæ nomen amicis,
Aut de Niliaco stipendia principe dicam
Venali data ferre *fide*, quos nostra revulsos
Extorsit rabies cùm tutelaribus *ulnis*
Crispatâ vulgi suspensum *nare* relinquam.
Imperii, quem jam tremebundus abominor, hæres
Proximus, invidiæ *nostrâ contemptior arte*
Prostat & *ex ipsâ traxit virtute ruinam*;
Me duce Presbyteris & publicus audiit hostis.
Pignore depositi primo *licitabimur* auri
Jus ejus, donec fixâ venale sub hastâ est:
Dum *laris inermis titulum* rescindere lege
Jessidem *duris urgens in rebus egestas*
Constringat, det jusque Tibi. Sed nolle putemus;

Et

Et *populi* reges regnant, & *jure* creantur.
Imperium tantùm est *fidei commissa* potestas,
Quæ domino substracta semel, non ampliùs æqua est.
Communi sancita bono successio, Gentem
Consensu invitam dispendia ferre tenebit?
Si populum series querulum mutata levârit,
Unum pro populo dabitur caput.
Judæis vis nota sua est, moderamina *Saulo*
Cum nondum commissa truci, sub Numine Rege
Vivebant, *ipsumq; ausi detrudere regno.*
Dic mihi quà Pietas? Nati quà nomen? & æquum
Jus patris? & famæ manet anxia cura futuræ?
Hæc *commune bonum* (cui cœlum paruit ipsum,
Vox Populi) rapido quasi dissipat omnia vento.
Non mentitus amor generosæ fascina menti
Injiciat. Natura suum genus *arte* propagat.
Indulgens Genitor, fata etsi sera perosus,
Diligit in vivâ se prolis imagine tantum.
Emicet aut factis *favor exploratus* amicis,
Desinat aut natum prætextu eludere vano.
Dilexisse Tuum Patrem Deus ipse fatetur,
Veracemque dato *(Ratio solidissima)* regno
Se probat, indicium nec erat fallacis amoris
Pastorique gregem & conferre peculia tanta.
Dilectum David Te vellet Adonida credi?
Cur capiti ignoto diademata regia tradat?
Quo vultu, nomenque Pij quo vendicet ore?
Diis placet hæredem *structâ* deludere *fraude*?
Æmulus Hic summo cumulat moderamine fratrem,
Sed sterilis legata soli tibi perdita tradet: (nos,
Fortè LyramAntiquam, veteres quâ *obmurmurat* hym-
Quædam *insulsa* Tuas Hebræa aut *cantica* laudes.
Proximus hinc hæres, princeps austerus & acer,
Jamjam *zelotypo* spectat Te *lumine*, spectat

Ille dolosque Tuos *raro velamine textos*;
Observat quali præcordia decipis escâ
Humana, ingentes quantumvis murmure luctus
Strangulet interno : Nam siqua injuria questu
Non patet, introrsùm meditans vindicta rependet.
Qualiter hirsutus Lybicis dormitat in arvis,
Aut inhians prædæ *simulat* Leo ducere *somnos*,
Dum lustra *incautè securus* obambulat hostis
Rugitu presso, contractóque excubat ungue;
Maturo tandem juvat insanire *furore*
Terribilique feris celer exilit ore latebris:
Iratúsque licèt, prostrato ignoscere vulgo
Gestit, at indomitæ post flagra reciproca caudæ
Pinguefacit tremulo se venatore triumphans.
Res Tua consiliis tardis nec lenibus apta est ;
Stet Tibi seu fato vinci, vel acuminis ense
Lætiferi victâ de gente referre triumphos:
Quem, cùm vita Tibi statuatur palma, relaxa
Vaginâ inclusum ; Nam cùm Natura vocarit,
Te *primogenitâ* mandat quasi *lege* tueri.
Nec semel incensam sine defervescere plebem,
Audiat infandum nè *justa Rebellio* crimen.
Ipse datam capias, quæcunque extenditur, ansam,
At tituli ætherea Genitor dum vescitur aura
Jus inquire Tui, nulláque ut imagine sumi
Arma putent, capta in tutelam Principis ede,
Cui secreti hostes, ficti insidiantur amici.
Et Jessidææ quis tùm penetralia mentis
Rimari poterit ? nimiâ formidine forsan
Exuat ingenium suspecti aff.bile damni.
Quid ? quamvis natum propter sponsale jugalis
Connubii votum, *seráque* solubile *lege*,
Depereat; toto metuit sed pectore fratrem.
Hæc ita ? *sperata vi se* submittere flagrat,

Utque

Utque salax mulier, tantum *ut videatur* iniquo
Constringi fato, & rapido torrente referri,
Nec metuas, *mistâ si cùm subriserit irâ*,
Optatum *gratâ* diadema auferre *rapinâ*.
Sed patrocinium capto sine Principe causæ
Enerve est, captum Regem nam jura sequuntur.

Dixerat arrecta magìs auscultaverat aure
Absalon his, vitæ (tantùm ambitione remotâ)
Integer, immani nunquam feritate notatus,
Nec fastûs tumuit *vesicâ* inflatus *inani*.
Quàm felix esset si provida fata dedissent
Aut non tam dignis, aut nobilioribus ortum
Stemmatibus! solium juste Tua Regia virtus
Assereret; Gens quæque Tuo, nisi *Patria*, felix
Viveret influxu: tamen incantamina summi
Cùm pauci Imperii *rigida cervice* recusent
Non agimus sontem, sed lamentamur ineptum.
Spes intensa fuit *rivalia* viribus *arma*
Frangendi oppositis, dubium populique favorem
Captandi blandis (*merces vilissima* !) vèrbis.
Sic dum zelotypâ caluit plebecula flamma,
Hic conjuratum *populari* efferre *boatu*
Molitur *Fœdus*, quem providus agmine juncto
Incitat *Achitophel*, studiis discordibus actâ
Stipatus turbâ, quam conglutinavit *in omne*
Concordem facinus subtili callidus arte.
Optima Pars regni, numerosaq; principe multo
Censuit *imperio nimio* regnare Monarcham.
Rerum ignara cohors, Patriam quæ pectore cæco
Deperiit, seducta malâ, non impia, fraude.
Impulsa Hæc *Proprio*, velut elatere premente
Fune nimis tenso contorserat omnia (tantus
Error erat) *Regni* crepuit dum *machina* laxi.

Civiles

Civiles alii lucro movere tumultus,
Tam vili Officium nè sit venale tributo:
Judæis expôsta foris Regalia vendunt,
Communisque boni *proprium* sub imagine *quærunt*.
Credebant alii grave pondus, inutile, Reges,
Qui quanti steterant, nullo cum fœnore solvunt.
Hi studuêre *merâ* Jessidem expellere *sorde*,
Ut *frugi*, & parcè fierent impendia regni.
His latus adjunxit cœtus clamosus, & omnes
Qui *meritâ* sperant tolli ad fastigia *linguâ*.
Proxima turba quidem *gemino* discrimine terret,
Nec tantùm Jessidem, at Regem infestiùs odit.
Gens Solymæa, *pios* olim benè docta *tumultus*
Moliri, motis in seditionibus audax:
Victoris gladio perculsa & territa, Regi
Legitimoque minax, restauratóque superba.
Viderat invisum Pagani *Fæderis* ortum,
Indignata suas Jebusitæ cedere palmas.
Duxerat Hanc Levita furens, divulsus ab Arca,
(Quam, dùm Judicibus pareret Juda, tenebat,)
Mugitus iterare *novos* per compita cœpit,
Et *clamore pio* Regem sibi poscere Numen.
Sub quo cum sacro * Sanhedrin antistite Gentem
Expilent, *ipsóque probent afflamine justum*.
Nam jus ad sceptrum dederit si Gratia, regnum
Quis melior Princeps Aaronis prole meretur?
Dux gregis Hæc fuerat, quàmvis & naris obesæ,
Imperium sed latratu majore lacessit.
Post hanc Sanctorum sequitur numerosa propago,
Obstipo capite, & defigens lumina terræ,
A cunis ipsis divino afflata furore.
Huic rerum forma, & compôstus displicet ordo:
Chaos antiquum placet, *indigestàque moles*
Imperij. Emicuit sed grex numerosior horum

* *Inspirato.*

Qui

Qui blaterant multa, & meditantur paucula; solo
Instinctu, genibus flexis, & poplite curvo
Majorum ignari numen, *Propriumque* colebant.
Qui cæco ejusdem Jebusitam munere fati
Dæmonáque oderunt, *licèt invitique* saluti
Devoti æternæ cœli *natalibus ipsis*,
Non possunt quia vera fide non vana fateri.
Machina quanta *virûm* quisq; horum! at turba relicta
Majori numero seu cæsâ repullulat Hydra.
Imperii quidam Proceres, quos emicat inter
Dux primus *Zimri*, *vento inconstantior ipso*,
Et vernis levior folijs, videatur ut esse
Non homo, at humani generis *compendia* solus.
Dogmatis usque tenax, *ductusque errore perenni*,
Subsultim quasi quæque, diu sed nulla professus;
Nam dum præscriptum *Navaliam* recurreret orbem,
Idem & Patricius, Citharœdus, Scurra, Chymista,
Nunc lenæ, rythmi, commercia læta bibonum
Picturæve placent, præter phantasmata mille
In *meditabundâ* secùs *expirantia mente*.
O felix demens! dederat cui quælibet hora
Aut nova quæ cuperes, quibus aut fruerêre cupitis.
Laudibus aut probris *vulgari* calluit *usu*
Afficere, & nimiùm (sapere ut videatur) utrisque
Excessu urbanus tanto, tanto efferus, omnis
Ut Deus, aut Dæmon, cum fratre audiret * *Erasmo*. *Nota satis Fabula est, viz. aut Deus, aut meus Erasmus.*
Exhaurire *levi* patrimonia noverat *arte*,
Omne data, *præter meritum*, mercede rependens.
Fortunis *ipsi* miserè *emunxere chorabi*,
Utq; joco frueretur inops patrimonia solvit.
Explosit sese Regali subdolus Aulâ,
Dividit hinc *facilem studia in contraria plebem*,
At nequsit præferre facem; Námq; *Absalon* (*illo*
Invito) & juncta curarum mole premuntur

Achitophel

Achitophel: *animo* tantùm sic *improbus* Ille,
Suppetiis nudus, non *seditiosa malorum*
Deseruit conventa, sed est desertus ab illis.

Sed Titulos Procerum, *vel honorem carminis* infra]
Nominaque, ambages nimis est prolixa referre.
Quos juvat ingenium vivax, Respublica, Bellum,
Optima pars; blandi sed cætera turba mariti
Censentur, *Satrapæq; meri.* Crassæ ergo *Minervæ*
Nomine, sis *Balaam*, cum magno elate deunce, *Juv. Sat. 1. v. 40.*
Unciolæq; Tuæ cum pondere frigide *Caleb*,
Intacti Satyra; & memori de pectore *Nadab*
Excidat æternùm, licèt ad suggesta remugit,
Pascaliq; olim nova juscula coxerat agno.
Abscondet quædam secreta nomina larva
Fœdus Amicitiæ, meritorum fama suorum
His munimen erit, *contemptus* proteget illos.
Non locus hic *vili vulgo*, cui gratia cœli
Nulla datur, tribuunt cui nulla insignia Reges.
Nec *Jonæ*, cujus *palearia* pendula *colli*
Turgescunt, *tortâ* potuit qui *lege* rebelles,
Civilisq; faces motûs, *defendere jure.*
Hunc tamen insequitur *presso pede* nequior alter,
Quem Deus unxisset diris feralibus ausus
Sectari *Shimei*, cujus matura juventus
Prædixit superis zelotem, & regibus hostem.
Ingentis *cautè* sumptûs peccata perosus,
Nec *nisi pro modico* violabat Sabbata *quæstu*.
Non mordax quenquam *Stygijs* incessere diris
Traditur, imperio nisi quòd fortasse reclamet.
Sic sibi thesauros *notis satis artibus inter*
Judæos, precibus multis & fraude, recondit.
Mox *odium* in dominum digna quo dote rependat
Urbs obstricta *pium*, dederat cum fasce secures.

Justiti

Justitiæ tenuit vibrata insignia dextra,
Aurea pendebant sudante monilia collo.
Dum tulit Hic frænos, *impunè & vindice nullo*
Oppetitur Princeps, tota è *Beliale* propago
Lascivit, festosque dies genialiter egit.
Nam *Shimei*, quamvis rerum non prodigus, æquo
Vicini scelus & sese dilexit amore.
Nam conspirassent uno si fœdere pauci
Contra *Judæum probra effutire* Monarcham
Perpetuus medio *Shimei* consederat horum
Dictator petulans, & si maledicta caterva
Evomat in Regem, nè displicuisse tacendo
Credatur missis *palpat commercia* diris.
Insimulare reos quis seditionis amicos *
Auderet? *Censura fori duodena* paratur
Ex tot *Judæis*, animoque & dispare cultu,
Quæ *fratres* impunè *pios* à verbere legis
Eximet humanæ. Pœnam nam publica Jura
In fidos Regi statuunt, Solióque tuentur
Infestos. At si majora negotia Regni
Forte vacâsse darent (quia perdita luditur hora,
Nec sine peccato, qua nulla negotia tractat)
Tentabat populum scriptis impellere chartis,
Ut credat vanos Reges, & inutile pondus
Affore Mechanicæ (tantùm prospexerat!) arti.
Scriptorúmque gravis *stylus* ut *limatior* esset
Fumantes calices *Rechabitâ* impensiùs odit.
Intemerata cadis cellaria; spreverat urbis
Præpinguem luxum sua mensa duúmque-viralis,
Segnitie longâ coquus obliviscitur artis,
Inque caput domini *migravit flamma* culinæ.
Frugalem hanc curam monstrato *Zoilus* ungue
Rideat, at certè populus *Judæus* egebat.
Oppida suppositis nam si semel ignibus ardent

* Ejus

D His

His meritò fasces tradunt, qui cautibus iram
Cœlestem succenso iterùm non igne lacessent.
Pabula jejunis sat *spiritualia* servis
Præbuit, at carnis parcus, quia *Juda* rebellis
Hac erat, & pluris pendet *Mosaica* Jura
Monte quòd in sacro lux quadragesima vidit
Jejunum. Sed cuncta loqui, quæ digna taceri,
Fœderis infidi testem *lassaret* anhelum.
At tenebris Te nulla tegent oblivia, *Corah*,
Effer Te solido monumentum *erectius ære*
Altiùs elato parilis Serpente metalli,
Dum *Tutelaris* Gentes tua protegat *umbra*.
Quid si nascatur vili? Terrena Cometæ
Materia est tantâ fulgentis in æthere luce.
Prodigiosa pari proles textoria famâ
Gesta patret, quàm si *Thusco de stemmate* natus.
Testantum Hi *facilè Princeps* excusserat uno
Hoc facto veteres vili de sanguine fæces.
Quis dubitat Testes proavis clarescere, quorum
Martyrio *Stephanum* pia juramenta bearunt?
Noster erat *Levita*, utque inscia credidit ætas,
Tota tribus *divinus* erat *famulatus* Olympi.
Huic oculi latuêre cavi, vox rauca sonansque,
Indicia *irati nunquam*, aut manifesta *superbi*.
Ingenium *pendens mentum* subtile probavit;
Ore tenus rubuit sacro, quasi *Mosis* adinstar
Fulgeret facies radiis circundata lucis.
Abdita *mirando* prospexit *acumine* fata,
Humanamque fidem superantia *Fœdera* novit:
Quæ malè censeret petulans mendacia livor,
Nam mens fingendis humana est talibus impar.
Vera refert quædam *cauto* ventura *libello*,
Ast ubi decipitur Testis, dat verba Propheta.
Ante oculos quædam, totidem quasi phasmata lu- (dunt,
Spi-

Spiritus hunc rapuit, quo nescio, turbinis instar,
Rabbinique gradu, titutulóque ornavit honesto,
Quem non ulla tamen longinqua Academia novit.
Judicium ast animo memori præstabat acutum
Tam bene quod Testis verba indigesta resarcit:
Concinnè Sècli genio *quadraverat* ipsi
Tunc *Jubusitæi* sceleris sub mole gementis.
Suspiciat temerè cœlesti voce citatum,
Atque antiquatum putet ostentare libellum.
Qui mala *Judæis* vovet, ast injuria tanta
Decreta est pœnis, & vindice lege rependi:
Nam tollit vitam, qui subdolus involat artem.
Ipse ego si simili, *Coræ* vice testis, honore
Dignaret, siquis tam duræ frontis inurat
Stigmate me tanto, *quamvis semel immemor essem,*
Obtusam exacuam mentem, chartâque recenti
Illo rescribam sceleratum *appendice Fœdus.*
In Cœlum zelus Regem perstringere sannis
Impulit, & justæ tenebras offundere famæ.
At zelo, tanquam genuino jure, malignis
Indulta est verbis, & mira licentia factis.
Et tali *Corah* cæsum mandaret *Agagum,*
Increpuit quali *Saulum* sermone Propheta. *viz. Samuel.
Vi junctâ quicunq; fidem fovère labantem
Testis (& hi quales precibus quæruntur, & ære)
Cum *Cora* unanimes in classe locantur eâdem;
Nam resonant omnes communi nomine *Testis.*

Cinctus Amicorum *variâ* miser inde *farinâ*
Absalon, elusus Regalem deserit Aulam;
Spe tumidâ *prægnans,* vano stimulatus honore,
Atque inflammatus *visu propiore* Coronæ.
Lætitiâ tacitâ sese in spectacula præbet,
Undique submisso *populari poplite* flexus,

Compoſito geſtu, vultu, & ſermone facetus.
Sic bene natura inſtructus, *limatus & arte*
Labitur ignoto per pectoris intima *motu.*
Tum blando aſpectu comis, *gemituque loquaci*
Et lachrymas ſuadente priùs, quàm verba profatur;
Pauca refert, grato ſed demulcentia ſenſu,
Dulciùs Hyblæo & leviùs ſtillantia melle.

Conqueror, Indigenæ Patrii, deperdita fata,
Prævertendi impar. En! hic miſerabilis Exul
Crudeli inſidiis Ego præda tyrannide Legum
Exponor veſtrâ Cauſâ, tamen O *mihi ſoli*
Contigerit periiſſe! mihi ſi ſola fuiſſet
Jactura Imperii, natúſque nec ampliùs eſſem!
Sed ſpolia, & *fractâ de libertate* triumphos
Quiſque refert veſtrâ, *Tyrus* ac *Ægyptia* tellus
Præcidunt artis quæſtus, Jebuſitaq; ſacros
Invadit ritus. Genitor (cui dignor honorem
Dum loquor) ignavâ capitur torpedine famæ
Securus, minimique lucro corrumpitur auri,
Et *Bathſhebæis* ſenuit mollitus in ulnis.
Evehit ad faſces hoſtes; confundit amicos
Ille ſuos, *ſecum* commiſſis *dimicat* armis.
Cedit, *juſque meum* longæva in ſecula cedat, (ro?
Sed proprium, ac Veſtrum ſumpto quid proderet au-
Hic tantùm, Hic Genti poterit pertundere venas
Solus, & ultrices impunè *elabitur* iras.
Ergo meas lachrymas (madidóſq; abſterſit ocellos)
Excipite, his tantùm *nunc* auxiliaribus armis
Inſtruor, *hæc* nullus carpet Paraſiticus Aulæ
Delator, cùm Jura ſinant aſperrima natum
His uti in Patrem: votiſque ardentiùs opto,
Ut ſub venturi moderamine Succeſſoris
Non alius juſtè miſer *Iſrâlita* queratur.

Rarâ

Raro lite cadunt Facundia, Forma, Juventus,
Sed *Commune Bonum* nullo non prævalet ævo.
Nec Populus mæsto misereri desinet ore
Publica miscentis proprio infortunia fato.
Plebs (quæ continuâ regnare tyrannide Reges
Cogitat) elatis Juvenilem carmine palmis
Messiam celebrat, qui pompâ instructus equestri
Propositum jam pergit iter stipante caterva;
Solis ad occasum *radios diffundit* ab ortu,
Cumque illo lustrat Promissam lumine Terram.
Illi Fama *loquax*, quasi Phosphorus, alite penna
Præcurrit, lætisq; sonis tremit æther ovantûm
Eminus, Hospitio secum tulit Ille Penates
Quo fruitur, sacrisque dicat quâcunq; moratur
Æde diu; at lautæ propter convivia mensæ
Dives in occiduis, famæq; per oppida notæ,
Partibus, *Issacharus* digno celebratur honore.
Hæc oculos populi quæ *mobilis* oblinit *Aula*
Prætulit & pompam, mentitâ abscondita larvâ est.
Struxerat *Achitophel* tacitos ut *ubiq;* recessus
Secretasq; dolo poterat novisse latebras
Pectoris humani: verum *hac* distinxit amicum
Tessera, ut expensæ vires in bella paterent.
Omnia nam pulchro latuerunt abdita fuco
Dum speciosus amor, Regiq; obtenditur ardens
Obsequium. Miseris iterata voce *Levamen*
Ærumnis petitur *regni*, & solennia sacra
Relligionis agi *nusquàm cum pace* queruntur;
(His semper capimur, semper mulcemur & escis)
Et Regem dubio positum in discrimine vitæ
A Fratre, & Sponsâ. Sic Conjuratio *pompâ*
Fingitur *ingenti*, & *bellum larvale* videtur
Pax ipsa. O vecors, nec damnis cautior ullis
Israel! escâ deludere *semper eâdem*?

An

An quiquam vegetæ ſteterant dum corpore vires
Vexatum miſeri ſe finxit *imagine* morbi,
Contemnens placidæ, quæ jam trahit, otia vitæ?
Anxius ardebat mala præſagire futura?
Regibus Hæredes, decreta imponere cœlo?
Quid? Poterit populus ſua, natorumque ſuorum,
Imperia invitis nativa remittere natis?
Cuilibet expoſiti domino, rabidóque Neroni
Effrænis cui ſtat ſua pro ratione voluntas,
Tunc eſſent, *jurisque baſes* conduntur inanes
Principibus *ſi impune datur reſcindere* leges.
At ſi quod juſtum eſt ſtatuatur *judice plebe*
Et regum fidei tantum commiſſa tenentur
Imperia, hoc pactum revocans *concredita jura*
Rex iniit primus, vel in omne abrumpitur ævum.
Si qui ſceptra darent propriis obſtringere factis
Non poterant natos, ſeros quo jure Nepotes
Et Genus Humanum *peccando* obſtrinxit Adamus?
Et cur Juſtitiâ Cœli damnemur ad Orcum
Qui lapſum *voto non ſuffragante* Paternum
Laudamus? domiti juga tum ſervilia Reges
Suppoſito ferrent collo, *populique favore*
Emendicato ſibi tradita regna capeſſant,
Adde quod ignarâ poſita eſt in plebe poteſtas
Quâ *Proprium* pendat. Nam quis privata tueri
Jura poteſt, victâ de Majeſtate triumphet
Si vis effrænis, ſolióque exturbet avito?
Omnia *nec dubio* populi ſuffragia *vero*
Semper egent, multi paucis ſed *craſſius* errent?
Clamoſis vulgi Princeps ululatibus inſons
Audiat Oppreſſor, Peſtis ſcelerata, Tyrannus.
Quæ fixa inſtabili vulgo menſura ruenti
Continuo fluxu, & celeri magis impete metæ
Quò propior? Nec plebs vertigine ſola laboret

Lunari

Lunari hâc, Sanhedrim sed corripiatur eâdem;
Cum sêclo possit simul insanire rebelli,
Mentitèque reos *delicti* excindere Reges.
At si det quodcunq; libet, cuicunq; placebit,
Non tantùm Reges (simulachra expressa Deorum?)
Sed quasi subductis ruet ipsum imbelle columnis
Imperium, regnúmq; vetus *Natura* relapsum
Restituet, *quo cuncta licent & omnia jus est.*
Finge tamen Reges *populo omnipotente* creatos,
Quis benè constructo solium fundamine fixum
Evertat? series nam qualiscúnq; malorum
Prima fuit, nullum est pœnæ lenimen asello*
Tot dominis servire novis: Respublica tantùm
Erratis aliis agitatur, at improba fata
Læthali, cum *regna novant*, ea *verbere* cædunt.
Fabrica si nutet vetus impendente ruinâ,
Mænia qui fulcit, rimásq; obducit hiantes,
Officium præstat; tamen hic ponenda labori
Meta suo, & siquis fixi pomæria finis
Transiliat præscripta vagus, det sanguine pœnas,
Seu temeris manibus Sacram contingeret *Arcam.*
Qui studet injustis, & *in improba dirigit arcum,*
Fundamenta novis modulis aptare vetusta
Nititur, humanas Sacrásq; infringere leges
Totiúsq; gravi *partes sarcire ruinâ.*
Maxima pars hominum *nimiâ sic sedula curâ*
Elicuit morbum morbo graviore minorem.

*Vid. fabulam de Asino & Fullone.

* ut Remus.

Jam quibus auxiliis poterit succurrere *David?*
Quàm Regi *fatale nimis* candore benigno
Indulgere suis! Paucos numeravit amicos
Et, furor huc crevit, talem quicúnq; *vel ausus*
Dicere se sprevit populus *cane pejus, & angue.*
Ast aliquos etiam *vel secula pessima* nôrint

Quos

Quos repetam, & *tantùm repeto dùm nomina, laudo.*

Hoc prior exiguum *Barzillai* duxerat agmen,
Barzillai, clarusq; annis, & *honore senilis.*
Ultra Jordanum vastis regionibus olim
Fregerat oppositis Hic arma rebellia turmis.
In regni columen, tunc tristia fata luentis,
Infausti domini *nimis infœliciter* audax.
Mæstus in exilio Sacro cum Principe consors
Vivebat, miseriq; tulit dispendia fati
Expulso pro Rege, comes redeuntis & idem.
Huic Aula, *at vafrâ* placuit *non Aulicus arte*,
Dives opum, ast *animi thesauris ditior* amplis.
Qui benè præcautâ sibi legerat optima curâ,
Militiæque sagum, & scribentes gesta Camænas.
Jactabat multâ fœcunda cubilia prole,
Nominis at plusquàm *jam decurtata* Paterni
Vox resonat. Primum lecti sponsalis amænum
Pignus Ego luctu (mandant ita fata) perenni
Deploro, semperque colam, quod flore juventæ
Invisis fatis, & *cœli crimine* raptum est.
Nec priùs abcessit summam posuisset honori
Quàm metam, natúsque patri, regique fidelis
Subditus, obsequii signis eluxerat arcti:
Curriculum vitæ celer, at breve temporis egit.
Circule proh! parve, & spatio angustate minuto,
Sed vis divinæ, & summè perfecta figura.
Per mare, per terras omnes Tua fama vagata est
Non æquanda, *Tuum, bellum fuit ; Arma, voluptas* ;
Vis Tua suffulxit Tyrios infusa labantes,
Te sensit *Pharaoh* properam velut *obice* sisti
Fortunam tumidus, laus O! antiqua, manusque
Invicta! indemnis cui nunquam obvenerat hostis.
Sed tamen *Israel* non tanto nomine dignus:

'mmo-

**Mart. Epig.* *Immodicis brevis est ætas, & rara senectus.
Decrevisse Dei quoddam fatale videntur,
Fortunam mentiq; parem donare *nec ausi.*
Nunc Anima, *excussâ terrenâ mole*, relata est
Ad superos, nubes *stellataque regna* reliquit.
Affines illinc legiones mille reducas
Quæ *Tutelari* poterunt succurrere Regis
Utq; Tui *genio, junctoq; umbone tueri.*
Lassa fatigatas hìc Musa sed exue pennas;
Cœli æterni domus nullis attingitur alis.
I, dic *Barzillai* Tibi defecisse loquelam,
Quòd priùs in tenues foret exhalanda vapores
Dic Animæq; Tuæ. Tamen expiraverat unà,
Atq; hæc defuncti tumulo scribenda reliquit
Carmina Patroni. Sed jam descende supernis
E cœlis præceps, licèt *accensâq; lucernâ* Digress.
Terris quære parem, si par tamen emicat usquam.
Hunc *sequitur, pressoq; legit vestigia passu,*
Antistes *Zadoc*, qui dedignatus honores
Ambiit immeritum submissâ mente favorem
Davidis. Huic comes est *Sagan Solymæus* opimo
Hospitio, & longo proavorum stemmate clarus
Tellure occiduâ, cujus divinus ab ore
Sensus & *appositis* manat facundia *dictis.*
Hoc monstrante viam Gens tota prophetica paret
Regibus, *ingenuas discitque fideliter artes.*
Nam stant munificis Collegia fulta Monarchis,
Et bellum Musis prius indixere rebelles,
Quàm Regi. *Legum* sunt proxima turba *columnæ*,
Quæ dirimit lites, causasque disertiùs orat.
Hanc sequitur Procerum Regi devincta fideli
Nexu turma, sagax Adriel, Musisque benignus,
Ipse etiam vates—Qui, cùm fremuisset iniquis
Consiliis Sanhedrim, Regi fidissimus hæsit,

 Nec

Nec tamen imperio servit; cui *David* amicus
Contulit effræni directa insignia nato.
Vividus ingenio *Jotham*, & *limante Minervâ*
Acrior, imbutus Naturâ, atque arte politâ
Suadendi instructus, qui deterioribus actus
Viz. Partium. Paulisper studiis * tandem meliora sequutus.
Nec tantùm sequitur, posito sed pondere lancem
Depressit dubiam, & trutinam libravit iniquam.
Rebus in angustis Regi addictissimus *Hushai*,
Pertulit adversas immotâ mente procellas
Publica quas rabidi excivit dementia vulgi.
Hic Jessidææ prudens elementa juventæ
Erudiit, Pactis longinqua per æquora notis,
Nativoque suo non experientia vero
Defuit. Hic *solium parcâ* ditavit egenum
Sedulitate, *manu* at *sua* præbuit omnia *largâ*.
Cum *turget* pleno cumulata *pecunia* fisco
Res tractare leve est, sed deficiente crumenâ
Artis opus. Depressa nimis, nimiùmve superbit,
Vendere Majestas, cùm Plebs emisse, coacta est.
Lassa lyram digito saliente repercute Musa
In laudes *Amielis* ovans; quo carmine dignus
Non *Amiel*? veterum qui nobilitate parentum
Illustris, *meritisq; suis illustrior* extat,
Nobilis *absq; novo titulo*, vel nomine clarus.
Insanos æquâ Sanhedrin compressit habena
Dux gregis Ille diù, & *ratione* coercuit *æstus*.
Tam benè defendit Regalia nemo, fideli
Nec pro Gente loqui potuit *formatior ullus*.
Utque tribus uno Solymæas turba maniplo
Hæc retulit, sic ille repræsentaverat Ipsam.
Jam tamen Aurigæ currus temerariùs urgent,
Quorum testatur laxis nimis effera frænis
Viz. Aurigæ. Vis artem veteris*. Quippe hi, *Phaethontis* adinstar,

Inver-

Invertunt annum, *tritoque è calle* vagantur ;
Anxia dùm placidus Sanhedrim deliria ridet,
Et *securus agit* tranquillæ *Sabbata* vitæ.

Obtinuit primas Hæc parva, at turma fidelis
Heroum, impavidum steterat læthalis Hiatûs
Illa Satellitium, strictasq; retuderat hastas,
Et rabiem unitam fuit ausa lacessere Gentis.
Undiq; balistas vidit gemebunda paratas,
Imperium Regale solo quæ impulsibus æquent.
Seditione potens ficto ut terrore caterva
In Sanhedrim vero Regem *deglubere* jure
Enisa est, regni Successor ut exul ab Aulâ,
Et *conductitio* mala conjuratio *teste*
Creverat, aspexit ; Pie tas ut jusserat ipsa
Ostenditq; suo læthalia vulnera Regi.
Nunquam concessos vulgo placuisse fovores
Indicat, at stabilem *foverunt lenia morbum.*
Absalon interea, Septri quem prona libido
Concitat, *elato* populum seducere *palpo*
Calluit; *Achitophel* odio stimulatus iniquo
Sub conjurati *speciosa* Fœderis *umbra*
Communi impetiit Sacra & Civilia fato.
Concilii magna est, Plebis vecordia major,
Et *Shimei* diras *Solymam eructare* docebat.

Quem pressit tantâ cumulata injuria mole
Eventus rerum meditanti corde volutat.
Cùm tandem lassata foret patientia, *David*
Erexit solio sese divinus avito,
Et *cœli afflatu* profert hæc dicta, loquente
Turma Creatorem in domino reverentior audit.

Hactenùs indociles Ego mansuetudine Gentes

Nativâ rexi, ſimulatâ concitus irâ
Aſpexi, & tardo pede damna illata rependi.
Tam facilè ingrato peccata remitteret ævo;
Mulcebat tanto Genitor lenimine Regem.
At jam *tam vili* proſtat Clementia noſtra,
Jus audent ipſi *veniæ* perquirere ſontes.
Unum pro multis clamant ab origine natum;
Natus at imperio eſt, hæcq; ultima meta Monarchæ.
Appellant Timidum, rarò quia ſanguine pœnas
Exigo, tot Genium quantumvis probra virilem
Affligunt leviùs, plagiſque minoribus urgent.
At cùm nativo deducant tramite, lenem
Me non invito, Genióve obſtante, docebo.
Subditus *elatâ* quæ fert opprobria *criſtâ*
Non Regem, at *dignâ* laſſarent *mole Camelum*,
Si meus obtento juvenilis Jure Columnam
Concuteret *Sampſon*, pereat *conſorte ruinâ*.
Aſt O pœniteat ſcelerum, moreſque retractet!
Quàm mala condonant faciles ingrata parentes!
Quàm paucis lachrymis veniam mereatur *Adonis*
Ille meus, *cujus partes Natura tuetur*!
O Juvenis miſerande! meâ provecte paternâ
Fabrica quanta levis tulit ad faſtigia curâ.
Si natum Imperio voluiſſent fata, ſereno
Donâſſet terrenam Animam magis igne *Prometheus*.
Ingenti capitur Patriotæ *nomine*, qui jam
Nil niſi conſcriptâ juſtum qui lege Monarcham
Opprimeret, ſolióque ſuo depelleret, audit.
Grandiloquus vani populi Thraſo, *machina cauti*
Patricij, nunquam craſſi Patriota cerebri
Non fuit. Unde tamen, quòd Religione tuente,
Et patrocinio Legum majore, Paternam
Abſalon explodat Cauſam? Direpta magiſtro
Cùm nondum antiquo fuerant inſignia, nunquam
Cœleſtis

Cœlestis tantâ *cumulari* dote favoris
Traditur. O Superi, quali Patriota colore
Pingitur, *indomitas cùm Plebs ardescit in iras?*
Quem populus *trepidante* colit *pietate*, rebellis
Ille mihi. *Obtrusus* tot suffragantibus *hæres*
Ascendet solium? Sanedrim *sua munera* discat
Largiri. Saltem diviso Jure coercet
Imperium Princeps, vincet neque calculus ullus
Si non communem *meus* immittatur in urnam.
Me Princeps votis non subscribente legetur?
Jus tacitum confert præsentem expellere Regem.
Electum impresso sed confirmare sigillo
Supplicat, at *Jacob* (cutis est cui lævis) *Esavi*
Non manus hirsutis bene convenit hispida villis.
Vota pii cœlo pro nostra æterna salute
Subjecti fundunt, sitque ut discriminis expers
Imperio nudant. A seditione latente,
Consutisque dolis, Superi defendite salvum:
Sed mihi * *Mendicam* præsertim avertite *turbam*; * Petitiones.
Non uterus sterilis, tumulúsve rapaciùs ambit,
Largiri nequit *ipse Deus* sibi quanta rogabit.
Quid superest? vigili Juris Regalis ocello
Quàm *quasi relliquias, minima & fragmenta*, caverem.
Lex erit Imperii directrix regula nostri,
Coget & infractos eadem parere Rebelles.
Non jam continuo *legum tibicine nisum*
Vota, quibus totum minus unâ parte probatur,
Imperium, quacunque volunt, *dominantia* flectent.
Non accusantûm fidos *garritus* amicos
Damnabit, noto nec plebs sine crimine pœnas
Infliget. Famules namque in discrimine nullâ
Dii Regesque suos non sedulitate tuentur.
O si præscripto Salvandi limite tantùm
Clauderer? Heu! cœlo similis, cur *mente coactâ*

Invito pœnas *genioque* repoſcere dignas
Impellor? Nudo tandem mucrone ferire
Juſtitiæ cogor? Fatum proh Legis iniquum!
Quàm malè perpendunt animo clemente Timorem!
Præmoneo, non *læſa* fremit *patientia, ſævit.*
Expoſcunt Legem? quæſitâ Lege fruantur.
His *quaſi monſtrato* placuit non *Gratia tergo,*
Sed ſacram inſpiciunt audaci lumine frontem,
Atque *ipſo intuitu pereunt. Nec juſtior ulla*
Lex eſt, quàm propriâ artifices necis arte perire.
In ſe jurabunt per conſcia ſydera Teſtes,
Dum, velut eroſis depaſta eſt vipera matris
Viſceribus, parili ſic Conjuratio fato
Hæc materna ruat, plenoſque voraciter hauſtus
Sanguinis epotent, *primævæ alimenta juventæ.*
Belzebub cum fratre ſuo * fera bella movebit,
Vindictâ *hoſtili* ſic *caſtigabitur hoſtis.*
Nec deſperatur certus ſucçeſſus, in ipſo
Effera Plebs aditu namque irruit *impete toto.*
Deinde frui campo da liberiore, recede,
Elude intentas *obliquo corpore* plagas.
Sed preme pectoribus cùm reſpirârit anhelis,
Et pete laſſatas *geminato robore* vires.
Semper enim injuſtæ ſupereminet æqua Poteſtas,
Pulſa diu & *fixâ tandem ſtatione* quieſcet.

* Beliale.

Dixerat; Omnipotens conſenſerat *indice nutu,*
Propitioque gravem *tonitru* tremefecit Olympum.
Fauſta novâ ſerie poſthac effluxerat ætas,
Feſtinis læti fugerunt paſſibus anni.
Jeſſides iterum ſolio conſedit avito,
Et promptæ agnôrant Dominum ſine murmure (Gentes.

FINIS.

Corrigenda.

Pag. 4. l. 10. traxitq; P. 5. l. 9. facilemve fidem. P. 10. l. 28. rarescet. P. 19. l. 7. sana.